

PALAESTRA LATINA

SUMMARIUM

Pfo Papae XII	ORTEGA
O Navis...	
Ut latine scribamus et loquamur quae sit veterum inscriptio- num utilitas	CIPROTTI
De Albino Platónico	ORTH
Lucretiana	ORTH
Carmen amoris	FANEGO
Comentario al c. VI de la Ilíada,	RUIZ
Nova et Vetera,	MIR
Animalia	SARMIENTO
Bibliographia,	TRISTANIUS - A. P.
Epistola soluta	
Exercitationes Scholares,	CASIS
	CORONA
	MARTÍN
Compositiones vertendae	
Curiosa et Jocosa,	CASIS-VALENCIA GAR- CÍA-CATALA-BOSOR

Ordinarii et Superiorum permissu

PIO PAPAE XII

(Pro pace christiana)

Aeterne saeculis, o Pie, Pontifex,
Christi redemptum qui moderas gregem,
Ecclesiae Pastor calescens,
Grandis honor, columenque, salve!
Probante Jesu, qui nitidam colis
Sedem, minacem perfidiam teris
Mundi, tuisque afflante Christo
Consiliis regis unus orbem:
Tandem superno culmine lumina
Benigna flectas, non secus ac sua
Olim Magister clara divus,
Tunc homines miseratus omnes.
Europa saevis caedibus obruta
Madet cruore, et turbine ferreo
Obsessa luget, jamque Phaebus
Occulit faciem pudicus!
Duro duello corripitur genus
Mortale terrae litus ad ultimum,
Vix ulla mens, induta lucis
Arma, Deum timet imminentem.
Heu, heu laborum, quos male percita
Humana quaerunt pectora sanguine,
Moles quot et duras propago
Morte ruens subitura Adami!
Quocumque vertor mortis imaginem
Lustro trementem, bellaque matribus
Invisa, sacris comminantur
Parta furore focusque templis.
A! tolle sanctam tolle tuam, Pater,
Vocem, sacratis foedera dexteris
Firma, quibus nil immorata
Pax homini remeetque caelo.
Nunc pristinarum nunc veniat chorus
Virtutum ab alto quem petiit locum,
Mortalium solvat catenis
Pectora quae scelerum timendis.
Effunde lumen, Sancte Pater, tuum,
Mentis tenebras quod bene dividat,

Blandisque frenis atque pace
Compositum rege mitis orbem.

Celsi Tonantis percipiant bonae
Aures gementum jam miseram vices,
Et Tu, Sacerdos summe, nostrum
Fer Triadi geniale votum!

ALPHONSUS ORTEGA, O. F. M.

Alumnus Collegii Seraphici Ceheginensis, in Murcia
XII Kal. septembres.

O Navis!...

(HORAT. *Od.* 1, 14)

¿Y volverás, ¡oh Navel,
a ser de nuevas olas arrastrada
al mar? Retorna al suave
puerto y, en él anclada,
permanece con fuerza y apresada.
¿No ves cómo desnudo
está de fuertes remos tu costado?
¿No ves que al viento crudo
el mástil quebrantado
cruje, y la quilla azota el mar airado?
Tu vela no está sana
y númenes no tienes protectores;
aunque te jactes, vana,
de tus progenitores
y de ser del Euxino tus mayores.
Del navío pintado
no fía el marinero, que es experto
y teme al mar airado;
tú, esquivas el Ponto incierto,
si juguete no quieres ser del Cierzo.
¡Oh Navel, causadora
de tedio, en otro tiempo, y de pesares
y de cuidado ahora!
Huye, si navegares,
de las brillantes Cícladas los mures.
(Versión de un Alumno del Colegio
Preparatorio Teresiano de PP. Carmeli-
tas Descalzos de Calaborra).

PALAESTRA LATINA

Pretium subnotationis annuae, solutione antelata, est 15 pesetarum in Hispania et Lusitania, 16 pes. in America et Philippinis insulis, et 17 pes. in reliquis civitatibus - Pretium mittatur oportet ad Administratorem, Lauria, 5 - Barcinone - Apart. 104

Et latine scribamus et loquamur quae sit veterum inscriptionum utilitas⁽¹⁾

Domus autem vel taberna locanda nunc significari solet vel tabula ad aedium valvas affixa, vel nuntio in diurnis aetis evulgato: *affittasi...* [*se alquila...*], addito pensionis pretio ceterisque locationis legibus. Pompejis haec in muro picta leguntur: *In praediis Juliae Spurii filiae Felicis locantur balneum venerium et nongentum, tabernae, pergulae, cenacula, ex idibus augustis primis, in idus augustas sextas, annos continuos quinque* (CIL. IV, 1136). Similis est alia inscriptio pompejana: *Insula Arriana Polliana Cn. Allei Nigidii Maji; locantur ex idibus juliis primis tabernae, cum pergulis et cenacula equestria et domus. Conductor convento Primum Cn. Allei Nigidii Maji servum* (CIL. IV, 138); ubi notetur quomodo *rivolgersi a...* [*dirigirse a...*] latine sit dictum. Similem quoque fictum apud Petronium Arbitrum titulum legimus: «C. Pompejus Diogenes ex kalendis juliis cenaculum locat; ipse enim domum emit.» (Satyr., 38).

Saepe videmus apud tabernarum postes scripta quibus res venales laudantur, vel modica pretia praedicantur. Elegans exemplum praebet inscriptio scariphata pompejana de vinaria taberna: *Assibus hic bibitur; dipundium si dederis meliora bibes; quattuor si dederis, vina falerna bibes* (CIL., IV, 1676). Attamen in alia taberna facetus quidam viator disticho in pariete scripto queritur quod vinum aqua permixtum caupo praebere soleat: *Talia te fallant utinam mendacia, copo: tu vendes acuam et bibis ipse merum* (CIL. IV, 3948).

6. Spectaculorum fabularumque indices cotidie in diurnis aetis nostris legimus, jugiter in muris scriptos videmus, scaenicorum nominibus eorumque praefectis indicatis, necnon psaltriarum numero. Quorum exempla latine conscripta si quis conspiciere cupiat, haec e pompejanis inscriptionibus excerpta videat (at majores nostri non lanistam vel scaenicorum praefectum compellabant, sed magistratum qui spectacula edenda curaverat): *Gladiatorum paria XX Q. Monni Rufi pugnabunt Nolae kalendis majis, VI-V nonas majas, et venatio erit* (CIL. IV, 3881); *Gladiatorum paria XX et venatio D. Pompei fluminis augustalis pugnabunt Constantiae Nuceriae III, pridie nonas, nonis, VIII idus majas* (CIL., IV, 3882); *Cn. Allei Nigidii Maji*

(1) Cfr. fasciculum superiorem, p. 207.

quinquennalis gladiatorum paria XXX et eorum suppositicii pugnabunt Pompeis VIII, VII, VI kal. dec. (CIL. IV, 1179); pro salute imperatoris T. Caesaris Augusti liberorumque ejus et ob dedicationem arae familia gladiatoria Cn. Allei Nigidii flaminis T. Caesaris Augusti pugnabit Pompeis sine ulla dilatione III non. jul. venatio et vela erunt (CIL. IV, 1180); animadvertite quomodo dictum sit [el espectáculo se celebrará sin falta el día...] D. Lucreti Satri Valentis flaminis Neronis Augusti filii perpetui gladiatorum paria X, ex ante diem V kal. april. venatio et vela erunt (Notizie degli scavi d'antichità LXI, 1936, 318, n. 97).

7. Res casu amissas qui reperire optat, suum infortunium jugiter evulgat, praemium inventori ac restitutori pollicitus. Eadem pompejani municipes: *Urna aenea perit de taberna; siquis retulerit, dabuntur HS XV...* (CIL. IV, 64). Aliquando locus quoque significatur quo res, si forte inveniatur, referenda sit: *convenito Q. Decium Quincti libertum Hilarium aut L. Decium Lucii libertum Amphionem citra pontem Sarni fundo Mamiano* (CIL. IV, 3864).

Quas inscriptiones legentibus nonne in mentem venit Mercurius in Apuleji *Metamorphosis* (6-8) jocose praedicans: «si quis a fuga retrahere vel occultam demonstrare poterit fugitivam regis filiam, Veneris ancillam, nomine Psyche, conveniat retro Murtias Mercurium praedicatorem...?» nonne praeco ille in Petronii *Satyrico* (97) facie fumosa haec proclamans: «Puer in balneo paullo ante aberravit, annorum circa XVI, crispus, mollis, formosus, nomine Giton; si quis eum reddere aut commonstrare voluerit, accipiet nummos mille?»

8. Gratulatorias locutiones, vel e contra, contumeliosas et imprecatorias, non raro etiam in inscriptionibus invenimus.

Ex illis—, quibus de prospero aliquo evento laetos esse nos profitemur [felicitación], vide: *Salvo Augusto felices Calcarienses* (CIL. VI, 9223); *Vobis salvis felices sumus perpetuo* (CIL. IV, 1074). En alia in cotidiano usu loquendi frequens: *Bonas vias, viator* (CIL. III, 1626).

E contumeliosis autem vel deprecatoriis, praeter defixionum tabellas, innumerae leguntur in sepulcris, ubi mala multa invocantur in eos qui defunctorum corpora vel sepulcra ipsa violaverint.

Sed, ut eas omittamus, lepido quodam exemplo delibationem nostram concludamus. Ecquis numquam in muro injurias in legentem a puero scriptas viderit? quibus aliquando altera manu injuria in scribentem ipsum additur, generalioribus verbis ita saepius concepta, ut alter se ipsum injuria afficiat. Pompejis autem inscriptio scariophata exstat, qua nostrae aetatis pusiones facile majores suos, ut ita dicam, recognoscere possint: *Qui hoc leget numquam postea aliud legat* (quod ne in nostrum scriptum legentes, quaeso, intelligatur); quibus verbis alter, callidior sane quam ut contra seipsum facere videatur, subdidit: *Numquam sit salvus qui supra scripsit* (CIL. IV, 1837). Cui, speramus, lectores nostri libenter non adsentientur.

PIUS CIPROTTI

De Albino Platónico

Anno 1906 Joannes Westenberger dissertationem philologicam Marburgi (in Germania) scripsit, cujus inscriptio est: «Galeni qui fertur de qualitatibus incorporeis libellus». Westenberger textum Graecum opusculi nomen Galeni prae se ferentis melius edidit et Galeno libellum abjudicavit, ignoto cuidam auctori, minime tamen Albino, attribuens.

Anno 1921 Londini alterum volumen operum Sancti Ephraemi Syri editum est, quod C. W. Mitchell his verbis ornavit: *Prose Refutations of Bardaisan, Marcion and Mani*. Quo in secundo tomo pag. III Albinus, philosophus Platonicus, commemoratur auctor libelli (*concerning the incorporeal*), ubi de qualitatibus incorporeis agitur. Ibidem ad hunc locum editores adnotant: librum Albini in textu laudatum in praesenti non existere. Editores autem qui Mitchellio mortuo volumen Ephraemi secundum in lucem protulerunt, Pseudo-Galeni librum de eadem materia (i. e. de incorporeis) tractantem ignoraverunt.

Anno 1945 casu liberalitate professoris Erik Peterson, qui in Instituto Pontificio Archaeologiae Christianae Romae docet, locum Ephraemi de Albino cognovi. Eodem momento temporis, ut sum Galeni operum peritus, mihi in mentem venit librum Albini ab Ephraemo allatum eundem esse atque illud opusculum, quod sub Galeni nomine falso etiam nunc fertur et scriptum videtur in Galeni editione Lipsiensi — vol. 19, 463-484 KÜHN — et in dissertatione Westenbergeri. Contra hoc Ephraemi testimonium de Albino auctore evidentissimum ne Westenberger quidem quidquam dicere audebit. De inscriptione libelli hoc animadvertendum est: titulus Graecus (in editione Westenbergeri et in Lipsiensi) ὅτι αἱ ποιότητες ἀσώματα ad sensum idem significat quod inscriptio ab Ephraemo tradita «concerning the incorporeal».

Deinde quomodo Albini libellus inter Galeni opera receptus sit, dicamus. Galenus erat ab anno 149 ad annum 151 Smyrnae Albini discipulus. Juvenis Pergamenus praeceptoris opusculum sibi acquisivit et inter suos libros in propria bibliotheca conservavit. Galeno autem mortuo Albini tractatus in corpus operum ipsius Galeni insertus et nomine Albini deleta injuriā, auctoritate Galeni ornatus est.

Dispositio autem operis Albini re vera duas partes praecipuas continet, quas Ephraemus quoque indicat: capita 1-4 doctrinam Albini praebent, capita 5-8 adversariam sententiam Stoicorum evolvunt. Praeterea Ephraemi testimonium singulare et unicum ex omnibus de Albino nuntiis antiquis est, quo Albinus una cum titulo operis simul manifeste commemoratur. Procli testimonium in commentario ad Timaeum — I 219, 2 DIEHL — solum nomen ipsum Albini tradit, cum interpretatio demum loci Procliani lectorem ad «didascalicon» Albini investigandum ducat. «Didascalicos» Albini — in appendice Platonica VI 166, 25 HERMANN, Teubneriana — scribens ποιότητες ἀσώματα ad tractatum specialem ὅτι αἱ ποιότητες ἀσώματα ejusdem Albini alludere videtur. Omnino doctrina de «incorporeitate», quae in «didascalico» p. 166, 1-12 (HERMANN) legitur, brevis et stricta comprehensio sen-

tentiarum libelli specialis haberi potest. Itaque iste libellus antistoicus prius scriptus est quam «didascalicos» Platonius, ut ex comparatione modi dicendi duorum librorum patet. «Didascalicos» maturum testamentum doctrinae Albini sese praebet. Ephraemus sine dubio testis sincerus scribendi nominis «Albini» haberi debet. Ita error codicum manuscriptorum, qui auctorem «Alcinoum» exarabant, tandem refutatus est. Historia philosophiae antiquae philosophum Alcinoum nescit. Quoniam etiam nunc solum duo scripta Albini nota sunt:

1. «Introductio in Platonis dialogos» et
2. «didascalicos»; nunc eidem Albino hunc librum restitimus, cui titulus est:
3. «de qualitatibus incorporeis». — Neque vero suspicio abest, quin Albinus alia quoque opuscula composuerit, quae ad nos non pervenerunt.

Bardaisanes autem (154-222) Albinum ipsum, qui ab anno circiter 100 ad annum 165 fuisse existimatur, audire certo non potuit, quandoquidem hi duo philosophi dimidio saeculo inter se distabant. Verisimile quidem est illum Syrum schola Antiochiae, capitis Syriae, ex notitiis librisque Albini accepisse.

Ex his sequitur illum librum plene veritati non respondere, proindeque sub novis respectibus reformandum esse, quem R. E. Witt (Cambridge 1937) sub titulo «Albinus» edidit. Articulus de Albino, quem Jacobus Freudenthal in «Realencyclopaedie für das klassische Altertum von Pauli-Wissowa» I 1314 nr. 4 composuit, prorsus non sufficit; propterea instar appendicis testimonia, quae de Albino Platónico exstant, hic propono:

1. GALENUS vol. 19, 16 Kühn: de propriis libris c. c = *Galenii scripta minora* ed. IWAN MUELLER (*Teubneriana*, Lipsiae 1891) vol. II 97, 10.
2. TERTULLIANUS: *de anima* 28.
3. EPHRAEMUS: *Prose Refutations of Bardaisan...* ed. C. W. MITCHELL, vol. II (London 1921) p. III.
4. PROCLUS: in *Timaeum* I 219, 2. 340, 24. III 234, 17 (DIEHL) (*Teubneriana*)
PROCLUS: in *Rempublicam* II 96, 12 (KROLL). (*Teubneriana*).
5. PRISCIANUS LYDUS: *Solutiones ad Chosroem* (versio Latina).
ed. INGRAM BYWATER (*Berolini* 1886) 42, 9 ubi «Aluini» (i. e. Albini) in textu ipso scribendum est.

Postremo non casu factum est, ut duo philosophi in eadem urbe Smyrna eodem praeceptoris munere functi annis ejusdem aetatis continuis c. 120 c. 155 de eodem Platone docerent: Theo Smyrnaeus et Albinus. Scholam Platoniam tum in museo Smyrnae fuisse putamus; nam uterque philosophus praeter alia opera introductionem in philosophiam Platonis composuit; sed talia non curavit C. I. Cadoux: *Ancient Smyrne* (Oxford 1938), qui plus facta quam mentis cogitata contulit.

Postremo adnotandum est Parisiis 1945 Pierre Louis editionem criticam Albini sub titulo «Albinos epitome» in lucem dedisse. In paginis XII-XV egit de Albino auctore; sed ne Louis quidem locum Ephraemi de Albini opusculo cognovit, quo philosophus Platonius de qualitatibus incorporeis tractat. Louis igitur ipse incompletus et corrigendus videtur.

EMIL ORTH

CARMEN AMORIS

*Exæmo. ad Rvdmo. Domino Doctori Ferdinando
Quiroga Palacios, Mindoniensi Episcopo, dioe-
ssis caput solemniter ingredienti.*

*Eja, Mindonî veneranda sedes,
lacrimis pridem madefacta prorsus,
gaudio exulta, Sæperoque gratum
concine carmen.*

*Ecce quem pectus repetebat ardens
Praesul advenit, veluti coruscans
lucifer, secum perhibens beata
omina quæque.*

*Sibilis Pastor vigilans amicis
creditos agnos in ovile ducet,
perditum portans humeris, superno
plenus amore.*

*Doctõr in morum fideique rebus,
quemque divinis simul imbuendum
nuper adsumpsit, populum docebit
auspice Divõ.*

*Diligens, prudens, peramansque juxta
cor Dei, natos animo volente
prosequi affectu sataget supremo
semper, ubique.*

*Dulcis Antistes, decus auriense,
spesque Mindonî: Benedic paternus
deprecor vatem fidibus canentem
carmen amoris.*

Franciscus FANEGO LOSADA

Mindonii, IV Kal. Maj. MCMCLVI.

Lucretiana

Ad novam editionem Lucretii praeparandam multos codicum principalium locos corrigere necesse est, quorum emendationes hoc loco proferre mihi liceat; numeri versuum ex editione Teubneriana (Lipsiae 1934) desumuntur.

1, 6: *Te dea, defugiunt venti...*

Scribi oportet «defugiunt», non «te fugiunt»; non est diacope ut apud Vergilium *Georg.* 4, 358: «duc age, duc ad nos». Dicimus quoque: «Te Deum laudamus», non autem «Te Deum, Te laudamus». «Defugiunt» est vehementissima locutio plenae fugae ventorum. (Cfr. LUCRETIUS 3, 9: tu pater ..).

1, 50: *Quod superest, tu [iam] vacuas auris [animumque]...*

Illud «iam» simplicissima conjunctio et optima solutio palaeographica difficultatis metricae videtur esse. Scholion Veronense fide dignum non est, quia scholiasta aut ipse fingit novas formas versuum aut diversis editionibus ejusdem auctoris utitur.

1, 744: *aëra, fontem, ignem, terras...*

Hoc loco quattuor elementa enumerantur. Ergo ponatur «fontem», non «solem», juxta «ignem». Nam sol et ignis idem elementum exprimunt. «Fons» autem pro aqua exstat.

1, 758 (in fine): *habes [nunc].*

1, 1075 (in fine): *concedere [tendit].*

2, 210: *sol etiam [dominus] de vertice dissipat omnis.*

211: *ardorem in partes...*

Nam hic «sol» tanquam rex vel dominus siderum laudibus effertur; cfr. FRANZ CUMONT, *La théologie solaire du paganisme Romain* (Paris 1913) 447-479. — Vertex significat summum caeli polum vel punctum in circulo O, quo sol symbolice representatur, vel denique metaphorice caput solis, qui est deus, unde in omnes partes radii defluunt.

4, 990: *aut quasi carceribus patefactis [praecipitari] ..*

Cfr. locus huic versui similis 2,264. Praeterea versus ita ordinandi sunt 4,990 et deinde 4,989 propter successionem actionum; nam primo equi se remouent ex stabulo et tum summas vires corporum propter victoriam intendunt.

5,1160: *et celata [sua] in media et peccata dedisse.* — Cfr. 4,962 965; 985-986.

Cfr. etiam SEXTUS EMPIRICUS vol. II pag. 560 linea 22 edit. *Fabricius*, Lipsiae 1840.

5,1442: *navibus [altum].*

6,541: *volvere vi fluctus summersos [vesca] putandumst...*

Sic propter similitudinem loci 1,326 supplendum est.

6,555: *ut vas interius non quit constare...* — Cfr. Manilius 1,31.

Ea aqua, quae intra vas inicitur, ita facit ut spatium internum (= vas interius) consistere et quiescere non possit.

6,972: *qua nihil est homini quod amarius fronde [acini] extet...*

EMIL ORTH

262. τὴν], «tu»; τὸ pronunciación του, forma del griego común, más la partícula νη; cf. II 64, τ 10; la misma partícula en lac. ἐγὼνη y hom. y lesb. ἔγων; cf. át. ἔγωγε. — κέκμηγας ἀμύνων], «te cansaste defendiendo»; el ptc. en función de complemento; caso distinto φ 426 οὐκ ἔχαμιον τανύων y A 168 ἐπεὶ κε κάμω πολέμιζων. — ἔτησιν], «a tus compañeros», sentido algo distinto de 239.

264. ἄειρε], «traigas»; ἀείρω (át. αἶρω) = βαστάζειν; cf. 293. — μελίφρονα], «que alegra el ánimo»; cf. salmo CIII (Sept.) καὶ οἶνος εὐφραίνει καρδίαν ἀνθρώπου.

265. ἀπογυιώσῃς], «me debilites»; todo lo contrario de lo que la madre creía en 261 μένος μέγα οἶνος ἀέξει.

266. ἀνίπτουσι], «sin lavar»; lo mismo aconseja Hesíodo, Op. 724 sigs.; cf. VIRG. *Aen.* 718-720.

267. ἄζομαι], «temo», con temor o reverencia religiosa; de *αἱ-γομαι (ἄγιος = santo). — κελαινεφέι], «de negras nubes»; schol.: μελανονεφής, μέλανα νέφη συνάγων πρὸς κατάπληξιν; como νεφεληγερετής, pertenece a los epítetos de Zeus, como dios de los fenómenos meteorológicos; cf. Ζεὺς ὕει.

268. λύθρῳ], «impureza», la suciedad que forman el sudor, la sangre y el polvo del combate. — πεπαλαγμένον], «manchado»; ptc. pf. de παλάσσω (<*πα-λακ-γω).

269. ἀγελείης], «la que trae o recoge el botín de guerra»; schol.: ἡ Ἀθηνᾶ, ἡ ἀγρεύουσα λείαν ἀπὸ τῶν πολέμων ἢ ἐστὶ λαφύραγωγός; cf. Δ 128 y K 460: Ἀθηναίῃ ληΐτιδι.

270. θυέεσσιν], «con sacrificios», con ofrendas; de θύος «incienso» (significación posthom.) lat. *thuis, thuris*; cf. hom. θυόεις «oloroso» ταθυωμένον «perfumado». — ἀολλίσσασα], «después de reunir».

271-278 = 90-97.

281. εἰπόντος ἀκουέμεν], «escuchar lo que yo le diga», es decir, seguir mi invitación a que vuelva al campo de batalla. — ὦς], ¡así! ¡ojalá! introduce y refuerza el optativo de deseo.

282. γαῖα χάνοι], «se abriera la tierra»; esta explosión de ira de Héctor se explica, porque la ausencia de Paris en el combate desmoraliza a los troyanos. Mientras Paris está junto a Helena, luchan por su causa los troyanos en la llanura; χαίνω aor. ἔχανον; de la misma raíz χάος «espacio vacío, abismo».

284. Ἄιδος εἴσω], «a lo profundo del Hades»; Ἄιδος gen. propio, que no exige suplir ningún sustantivo, δόμος por ejemplo.

285. φρένα], acus. de relación, referido a ἐκλελαθέσθαι. — ἐκλελαθέσθαι], aor. con reduplicación de ἐκλανθάνω.

286. ποτὶ μέγαρα], «al palacio», μέγαρα (plural poético) se toma aquí por todo el palacio (δόμος); nótese la prolongación ποτὶ μέγαρα como la ordinaria de ἐνι μεγάροισι.

288. θάλαμον], «la recámara» o tesoro construido bajo tierra (de ahí κατεβή-

σετο) en que se guardaban las cosas preciosas y las provisiones; cf. β 337-347. — κηρώντα], «oloroso, perfumado»; cf. Γ 382.

290. Σιδωνίων], «sidonias», de Sidón, la famosa ciudad fenicia, que sucedió a Biblos. El texto prueba el comercio que debió existir entre aqueos y fenicios.

291. ἵγχαγε], «trajo»; schol.: Παριών (Paris) δὲ διὰ τῆς Σιδῶνος κακείθι γυναῖκας ἔξω τῆς ἄστεος (nótese el femenino!) εὐρών, ἔλαβε τρώπῳ ληιστικῶ. — ἐπιπλώσ], «navegando»; de ἐπιπλώω.

292. τὴν ὁδόν], «expedición», no propiamente camino. Paris sale con sus naves piratas; recorre las costas fenicias y luego visita Esparta, donde rapta a Helena. Así se deshace el caramillo que Heródoto levanta a Homero (II, 116), comparando un dato de los poemas Ciprios con este pasaje de la Ilíada. Heródoto es un lejano precursor de la crítica moderna. — ἀνήγαγεν], «la trajo en su nave», de Esparta a Troya; ἀνάγειν conserva aquí su sentido de hacerse a la mar, suponiendo que Paris zarpa del Peloponeso con rumbo a Troya. Esta fué la última etapa de su ὁδός o expedición. — εὐπατέρειαν], «de ilustre padre» como hija que era de Zeus.

294. ποικίλμασιν], «por sus labores»; cf. 289 παμποικίλια ἔργα γυναικῶν; cf. Γ 126, sgs.

295. νεάτοσ], «el último», en el fondo; cf. νεός (γῆ) originariamente «depresión», tierra de labor, campo; át. νέατος «el más profundo»; hom. νεϊόθεν «del fondo de»; νεϊόθι «en el fondo».

301. ὀλολυγῆ «con gritos»; ὀλολύζειν es término ritual, dicho de los gritos con que se acompañaba la matación de las víctimas; Herod. IV 189 dice: δοκέει δ' ἔμοιγε καὶ ἡ ὀλολυγῆ ἐπὶ ἱέρουσι ἐνθαῦτα (en Libia) πρῶτον γενέσθαι cf. γ 450 y lat. *ululatus, ululare*.

305. ῥυσίπολις], «defensora de la ciudad», *Patrona urbis*; de ἐρύω «salvar». — δία θεάων]. «divina entre las diosas»; modo de superlativo que recuerda el giro hebreo de *benedicta in mulieribus*.

306. ἄξον δὲ ἔγχος], «rompe por fin la lanza»; cf. VERG. *Aen.* XI, 484: *frange manu telum Phrygii praedonis et ipsum/pronum sterne solo portisque effunde sub altis*; y II 801 en que Apolo, dios tutelar de Troya, quiebra la lanza de Patroclo al atacarla.


311. ἀνένευε], «abnuit»; cf. VERG. *Aen.* I, 436: *Diva solo fixos oculos aversa tenebat*. Todo el pasaje de *Aen.* I, 479-482 es imitación o recuerdo de este pasaje de la Ilíada.

312 - 368. Encuentro de Héctor y Paris.

313. δῶματα], pl. por sing. por exigencia métrica. Paris habita casa propia, que se construyó por su cuenta (αὐτός) por medio de los mejores artesanos (τέκτονες ἄνδρες) que había en Troya. Éstos le construyeron un θάλαμον «tesoro» o recámara, un δῶμα «palacio» y una αὐλήν «patio» (316). — βεβήκειν], «se marchó»; plus. pf. de βαίνω que presenta la acción en su estado pasado. El mejor ejemplo castellano es el de S. Juan de la Cruz: «salí tras ti clamando y ya *eras ido*». (Cántico Espiritual, I).

DANIEL RUIZ BUENO, C. M. F.

NOVA ET VETERA



PICTURA 12.^a SCAENA II, VENATIO - VINDEMIA - PISCATIO

1. — Sub fine mensis augusti aut medio septembri —juxta locorum regiones— facultas venandi tribuitur. Vixdum primi solis radii lacertos² ex latebris eduxerunt, cum venator⁵ cum canibus⁴ viae se committit.

2. — Veste indutus est spissa crassioris panni, ocreas coriaceas sibi aptavit, quibus per umidam herbam —ubi bufones³ latent— incedat; sclopetum⁶ et reticulum¹⁰ assumpsit, jamque proficiscitur.

3. — Studio actus venationis insectandae in vineam, ubi vindemia actuose agitur, ingreditur. Vinitoris filii, qui in via capreas custodire solent, eas hodie

libenter pascere sinunt, ac postquam vetulum hircum³ ad paxillum alligarunt, ne libertate nata aufugiat, ipsi quoque jucunditati se dare volunt. Alter [enim] uvarum racemum ex vindemiae cophino¹² colligit atque mustum¹⁸ in poculo¹³ exprimens gaudet ut dulce vinum conficiat. Alter [vero] foliorumserta¹⁵ capiti imponit, quae modo contexuit. Juxta eos, audaces passeress¹⁶ accedunt ad torcular ut uvarum grana pabulentur.

4. — Dum pueri animo relaxantur, viri laborant. Vindemiatores¹⁸ ex cella vinaria fiscinis¹⁷ uvas asportant. Cuparius¹⁹ cupas²⁰ reficit; utrum laminae²² et imi fundi²¹ incorrupta sint, investigat, atque circulos²³ confractos permutat. Ipse ingentes fabricat cupas,²⁵ ubi infunduntur uvae²⁶ ut effervescent.

5. — Cum mustum deferbuit, eliquatur vinum; vinacea sub prelo²⁸ immittitur atque, paulatim cochleam²⁹ comprimendo, mustum exprimitur, quod in lacum³² manat atque sic vinum efficitur.

6. — Per cellae vinariae²⁷ parietem ramus lupi salictarii³⁰ reptat. Hic est planta ornatus causa, sed in aliis locis ubi vitis haud frequens est, lupus colitur ad cerevisiam conficiendam.

7. — Malus³³ oneratur malis, quae, cum maturitate mitigaverint, exquisitam siceram, proment. In cavea³⁴ fringilla canaria³⁵ et carduelis,³⁶ passeress, qui libertate gestiunt, aegris oculis inspiciunt.

8. — Ultra hominis visum, acclivibus locis, adminicula⁴⁰ rectis lineis ordinantur, quae vites gravibus racemis onustas sustinent. Toto anni tempore vitis cultor⁴² curas in vineam³⁸ contulit, modo autem ejus labor magna fructuum perceptione remuneratur. Vindemiatrices⁴¹ fiscollas replent positas super plostellum, a mulis vectum, omnesque gaudio gestiunt.

9. — Idem piscatoribus⁴⁷ [cum arundine] evenit qui primo mane ad aquae ripam cum arundinibus⁴⁵ se collocarunt. Pisces,⁴⁷ cum piscatores lineam⁴⁶ in aquam injicerunt, hamum mordent iique vix escam immutare possunt, cum recens victima in extremo filo leves dat saltus. Qui tamen in piscando rete⁴⁸ adhibet e navicula⁴⁹ [et] in medio rivo⁵⁰ jaculum coniectat, plures numero pisces captat.

10. — Autumnali tempore ambulationes conficere juvat: pedibus [aut] equo⁵² insidentes, biröta⁵³ [aut] automölo.⁵⁴ Itinera munda sunt atque extremi boni dies aucupantur, nam en hirundines quae jam in teatis congregantur ut volatu celeri avölent. Folia vetustae arboris juglandis flavescunt, nuces juglandes decidunt et magnae arbores, quae in tumulo silvulam efficiunt, cito foliis nudabuntur.

11. — Sol serius oritur, dies decrescunt, mane vis frigoris acrior afflat, rusticularum agmina, quae caelum nostrum inhospitum relinquunt, conspiciuntur.

VOCABULARIUM

- 2 lacertus, i, m., (-ta, ae, f.), *lagarto, lézard*.
latebra, ae, f., *escondite, trou*.
ocrea, ae, f., *polaina, guêtre*.
- 1 bufo, onis, m., *sapo, crapaud*.
- 6 *sclopetum, i, n., *escopeta, fusil*.
- 10 reticulum, i, n., *morral, carnier*.
vindemia aētuose agitatur, *se coge abundante vendimia, la vendange bat son plein*.
vinītor, vitis cultor, oris, m., *viñador, vigneron*.
iucunditate se dare volunt, *toman ellos también su parte en la diversión, ils se donnent eux aussi leur part de plaisir*.
cophinus, i, m., *cesta, panier*.
- 14 mustum, i, n., sucus, i, m., *zumo (moŝto), jus*.
- 15 sēta, orum, n. pl., (-um, i, n.), *guirnalda, corona, couronne*.
torcular, aris, n., *lagar, pressoir*.
- 17 fiscīna, ae, f., *banasta, hotte*.
- 19 cuparius, ii, m., *tonclero, tonnelier*.
- 20 cupa, ae, f., *barril, barrica, tonel, barrique*.
- 22 lamina tabula, ae, f., *duela, douve*.
- 21 fundus, i, m., *fondo, fond*.
- 23 circulus, i, m., *aro, cercle*.
liquare, *trasegar, soutirer*.
vinacea, ae, f., (-ceum, i, n., -ceus, i, m.), *orujo, marc*.
- 32 lacus, i, m., *cubeta, baquet*.
- 30 lupus salictarius (mulus lupulus, LINN.), *lúpulo, houblon*.
cerevisia, ae, f., *cerveza, bière*.
sicera, ae, f., *sidra, sidre*.
- 35 fringilla canaria (Chloris, ūdis, f.), *canario, serin*.
- 36 carduelis, is, f., *jilguero, cardelina, chardonneret*.
libertate gestire, *juguetear en libertad, gozar de libertad, s'ēbattre en liberté*.
aegris oculis inspicere, *contemplan con ojos llenos de envidia, contempler d'un oeil d'envie*.
ultra hominis visum, *a lo lejos, à perte de vue*.
acclivibus locis, per declive, *en la pendiente de las colinas, sur le penchant des collines*.
adminicula, orum, n. pl., *rodrigones, échelas*.
reētis lineis ordinari, *alineare, estar puesto en hilera, s'aligner*.
plostellum, i, n., *carro, charrette*.
- 46 linea, ae, f., *sedal, ligne*.
hamus, i, m., *banzuelo, hameçon*.
jaculum, i, n., *esparavel, épervier*.
* birōta, ae, f., *bicicleta, bicyclette*.
- 54 *automōlus, i, m., *diga, ae, f., *automóvil, coche, automobile*.
celeri volatu, *perniciter, a ala tendida, a tire d'aile*.
- 57 arbor juglans, dis, f., *nogal, noyer*.
nux juglans, dis, f., *nuez, noix*.
dies decrescunt, *minuuntur, los días van menguando, les jours diminuent*.
vis frigoris acrior afflat, *un frío bastante fresco se deja sentir, un petit froid assez vif se fait sentir*.
rusticola, ae, f., *hoŝha, gallineta, bécasse*.
agmen, inis, n., *bandada, vol*.

EXERCITATIONES

MAGISTER. — Quae magis in pictura vobis placent, pueri?

PETRUS. — Mihi quidem solis ortus, qui suis radiis lumine et splendore omnia perfundit ac replet.

ANTONIUS. — Mihi autem magnopere arridet in illo placido fluvio scaphā navigare vel ad ripam sedere et cum

arundine piscari.

JOHANNES. — Nihil mihi adeo gratum quam vindemiatoribus consociari, uvas carpere, his delectari, cum pueris, qui in poculo mustum exprimunt, relaxari, aut inspicere quo modo in torculari vinum exprimitur atque in cupas asservatur.

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

ANIMALIA

1.º AVES

- abejaruco*: apiastra, ae f., merops, opis f.
abubilla: upupa, ae f.
águila: aquila, ae f.
ala: ala, ae f.
alción: alcyon, onis f.
alondra: alauda, ae f., cassita, ae f.
ánade: anas, atis f.
avestruz: struthiocamelus, i m.
avutarda: otis, idis f.
becada: rusticula, ae f.
becafigo: ficedula, ae f.
bubo: bubo, onis m., asto, onis m.
buitre: vultur, uris m.
calandria: alauda, ae f.
canario: chloris, idis f.
cigüeña: ciconia, ae f.
cisne: cygnus, i m., olor, oris m.
codorniz: coturnix, icis f.
corneja: cornix, icis f.
cuclillo: cucullus, i m., cuculus, i m.
cuervo: corvus, i m.
estrixe: strix, strigis f.
estornino: sturnus, i m.
faisán: phasianus, m., phasiana, ae f.
fraucolin: attāgen, inis m.
gallina: gallina, ae f.
gallo: gallus, i m.
ganso: anser, eris m.
garza: ardea, ae f.
gavilán: accipiter, tris m.
gaviota: gavia, ae f.
golondrina: hirundo, inis f.
gorrión: passer, eris m.
grajo: graculus, i m.
grulla: grus, gruis f.
halcón: accipiter, tris, falco, onis m.
hornero: furnaria, ae.
jilguero: carduelis, is f., acalanthis, idis f.
lechuga: noctua, ae f.
loro: psittacus, i m.
milano: milvus, i m.
mirlo: merelus, i m., merula, ae f.
mochuelo: ulula, ae f., asto, onis m.
murciélago: vespertilio, onis.
onocrótalo: truo, onis m.
oropéndola: galbula, ae f.
paloma: columba, ae f.
papagayo: psittacus, i m.
pardillo: loxia, ae f., pyrrula, ae f.
pato: anser, eris m.
pava: gallina indica, numídica, ae f.
pavo real: pavo, onis m.
pelicano: pelicanus, i m.
perdiz: perdix, icis f. m.
periquito: conorus, i m.
pezpita: motacilla, ae f.
picaflor: todus, i m., anthophilus, i m.
picoverde: picus, i m.
pollo: pullus, i m.
reyezuelo: regulus, i m., trochilus, i m.
ruiseñor: aëdo, onis m., luscinia, ae f., philomela, ae f.
tordo: turdus, i m.
torcaz: palumbes, is f.
tórtola: turtur, uris m.
urraca: pica, ae f.
vencejo: apus, apodis f.
verderón: vireo, onis m.
zarzal: turdus indicus, i m.
zurita: palumbes v. silvestris columba, ae f.

PROVERBIA

Singula grana legens, ventrem gallina replebit;
grano a grano, hincha la gallina el papo.

Audisti gallum at nescis qua sede canentem:
oyó el gallo cantar y no supo en qué muladar.

Dat veniam corvis, vexat censura columbam:
pagan la pena los justos por los pecadores.

In manibus potius passer quam vultur in alto:
más vale pájaro en la mano que buitre volando.

Unica non certa est praenuntia veris hirundo:
una golondrina no hace verano.

Strepuit anser inter olores:
habló el buey y dijo mú.

PSITTACI FUNEBRIS CONTIO

Psittace, dux volucrum, domini facunda voluptas,
humanae sollers imitator, psittace, linguae,
quis tua tam subito praeclusit murmura fato? (1)
Hesternas, miserande, dapes (2) moriturus insti
nobiscum, et gratae carpentem munera mensae
errantemque toris (3) mediae plus tempore noctis
vidimus. Affatus etiam meditataque verba
reddideras. At nunc aeterna silentia Lethes
ille canorus habet. Cedat Phaetontia vulgi
fabula: non soli celebrent sua funera cygni.
At tibi quanta domus rutilat testudine fulgens,
connexusque ebori virgarum (4) argenteus ordo,
argutumque tuo stridentia limida cornu (5)
En querulae jam sponte fores (6). Vacat ille beatus
carcer, et angusti nusquam convicia tecti.
Huc doctae stipentur aves, quis nobile fandi
jus natura dedit: plangat Phoebelus ales (7),
auditasque memor penitus dimittere voces
sturnus et Aonio versae certamine picae,
quique refert jungens iterata vocabula perdix,
et quae Bistonio queritur soror orba cubili (8):
ferre simul gemitus cognataque ducite flammis
funera et hoc cunctae miserandum addiscite carmen:
«Occidit aëriae celeberrima gloria gentis
psittacus, ille plagae viridis regnator Eoae;
quem non gemmata, volucris Junonia cauda (9)
vinceret aspectu, gelidi non Phasidis ales (10),
nec quas umentis numidae rapuere sub antro.
Ille salutator regum nomenque locutus
Caesareum et queruli quondam vice functus amici,
nunc conviva levis monstrataque reddere verba
tam facilis! Quo tu, melior dilecte, recluso
nunquam solus eras. At non inglorius umbris
mittitur: assyrio cineres adolentur amomo, (11)
et tenues arabum respirant gramine plumae.

STATIUS, *Silvarum*, I, II, 4

NOTAE: (1) muerte, hado; (2) manjar; (3) (6) puerta; (7) cuervo; (8) lecho; (9) co-
cama; (4) varilla, vara, látigo; (5) pico; la; (10) faisán; (11) amomo.

VOLUCRUM CONCENTUS

BERNARDUS. — Divina, sodes, quid me magis delectet tempore veris.

ANTONIUS. — Utique non divinarem, etiam si viderim annos Nestoris. Quid? Pratorum vernantium viriditas, nemorum amoenitas, atque trepidantis liquidi rivuli, florum variorum adspectus, arborum proceris amorum umbra?

B. — Unum est quod enumerando praetervolasti ..

A. — Nivei pecoris in pratis luxuriantis atque ludentis?

B. — Minime, rem non tangis.

A. — Victas do manus.

B. — Aviculae earumque concentus suaves. Quid, quaeso, unum reperies in millibus suavius atque jucundius quam cum, ut ait Vergilius noster, avibus resonant virgulta canoris?

A. — Tecum sum atque ego vehementer delector avium concentibus.

B. — Tempore verno nullus est sensus qui non egregia aliqua voluptate fruatur; primum oculi ut in arce constant et totius corporis duces et caput. Deinde aures: qui concentus avium et potissimum luscinae! Quae varietas vocum ac linguarum, qui pennarum nitor (*brillo*), qui alarum lapsus atque libramen! (*suspensión*).

A. — Veniunt nunc mihi in mentem quae legi carmina Lucisolis poetae, amici jucundissimi.

B. — Incredibili et ego dulcedine perfusus sum talis carminis. In praesentia pagellam referre cupio, modo id per te libeat.

A. — Libentissime aures erigo.

B. — Audi Vivetem loquentem; auscultalusciniam a salice a qua (ut ait Plinius) perfectae musicae scientiae modulatus editur sonus. Animadvertite accurate et adnotabis varietates omnium sonorum: nunc non inter-

quiescit, sed continuo spiritu in longum aequabiliter, sine mutatione; nunc flectitur; jam minutius et concisius canit; nunc intorquet et quasi crispat vocem; nunc extendit, jam revocat; alias longos concinit versus, quasi heroicos; alias breves ut saphicos; interdum brevissimos ut adonicos.

A. — Meministine philomelae fetus suos querentis ut est apud Vergilium? Antimum velissim et aures adhibe ad ea quae legi uspiam:

Laetus villarum titiat per culmina passer
in nidum volitans trisat hirundo suum
sibilat hic turdus, merula hic zinzilat ulmo:
jurgia tot volucrum quaercus amica tegit.

Quis numeret cantus avium, quis nomina dicat?
mille ferunt citharae, pectore mille canunt.

At pia dum cantat juxta matercula cunas
luscinae dulci dulcius ipsa canit.

B. — Mirum! Permulta alia de volucris deque volucrum cantibus cecineret poetae. Tot carmina memini, tot etiam oblita mihi, ut prius vires deficient quam aliquot ex his queam recitare.

B. — Mihi visum est talia de aedone praedicasse Latinos, quia nulli eorum ejus aemulam fas fuit cognoscere laudam indicam.

B. — Luce clarius liquet in omnibus.

A. — De hac quippe dictum est, ut mea fert opinio:

Laudat alauda Deum, dum sese tollit in altum,
dum cadit in terram, laudat alauda Deum.

B. — Facilem nacti sumus, si sapiamus volucres, magistrum sive ad vitam discendam sive ad mores rite instituendos aut gratias facti Deo referendas. Haec potissimum me delectant, quae ignari homines attingere plerumque dedignantur.

RAIMUNDUS SARMIENTO, C. M. F.

Villae Rosarii, in Argentina.

BIBLIOGRAPHIA

Edelvives. — *Lingua Latina, 2.º curso et curso 3.º.* Edit, Luis Vives, Zaragoza, 13-12 ptas.

Inter praeceptores et alumnos commendatione non indigent manualia scholaria Domus Editrices Lud. Vives. Horum manualium dos est praecipua integram grammaticam singulis annis, sed gradatim, edocere: cui normae praesens manuale accommodatur. In volumine secundí cursus agitur primo de re grammatica, relictis ad tertium cursum difficilliora quaedam morphologiae et syntaxeos quae alumnorum mentes impediunt. Exircitia verstonis, varietate et amoenitate praedita, additis praeterea imaginibus pictoricis ad romanorum culturam et historiam vivide intellegendam: auctorum excerpta cum notis et vocabularium.

Non alumnis tantum sed et praeceptoribus haec volumina magno emolumento fore putamus.

J. Van Ooteghem, S. J. — *Bibliotheca Graeca et Latina*, deuxième édition, Les Etudes Classiques, Namur (Belgica).

Illustris Prof. Van Ooteghem, inter bonarum litterarum cultores optime notus, et commentarii *Les Études Classiques* moderator, coronae studiorum de scriptoribus classicis gemnam addidit pretiosam, seu indicem bibliographicum completum ad nostros usque dies protractum. In prima parte studia generalia numerantur de geographia, historia, grammatica, metrica, lexicographia et graeca et latina. In altera et tertia parte auctores graeci et latini recensentur et bibliographia de illis universa.

Praecipui scriptores «partes leonis obtinuerunt», ut ait auctor, «secundí ordinis minores. Ac nescio cur nec minima pars detur christianis auctoribus, praesertim Prudentio, qui in lyrica lati-

na, Horatio excepto, principem locum obtinet.

HENRICUS MARTIJA, C. M. F.

J. A. Urquiola, O. F. M. — *Sanctae Clarae Assisiensis laus*, Bermei, 1946, pp. 31.

Sanctae Clarae vitam hoc venustum carmen scite, poëtice, jucunde enarrat atque complectitur. Et praeclara vita et narrationis elegantia et colloquii suavitas, si legeris, gratissima erunt.

J. Toldrá. — *El gran renacentista español D. Antonio Agustín Albanell, uno de los principales filólogos del S. XVI*, Biblioteca «Antonio Agustín», Tarragona, pp. 50.

Vitam atque operam nobilissimi illius viri Antonii Augustini dum legere, summa sum et voluptate et doctrina recreatus. Ejus vita pietatis insigni fulgore, doctrinae assiduo labore claret. Omnibus liberalibus litteris erat eruditus, latino ac graeco sermone æprime versatus, veteres scriptores, Varronem, Festum, Paulum Diaconum, leges ac senatus consulta, legesque in XII tabulis scriptas accuratissime emendavit, edendaque curavit. Jus quoque civile et ecclesiasticum impensissime coluit; emendationes protulit in Pandectas, in Gratianum, indices scriptorum composuit; alia castigavit opera juridica, ecclesiastica, philologica et quae ad numismata et epigraphiam spectant. Colendus Doctor et Canonicus Dnus. J. Toldrá. «Bibliothecam Antonii Augustini» moderatur ut, quae hic litterarum studia propagavit, novo iterum vigore splendeant,

J. M. TRISTANIUS

Profes. del Col. Teresiano de PP. Carmelitas Des. de Calahorra. — *Técnica de las Oraciones latinas.* Edit. «El Monte Carmelo», Burgos, 1946, 196 pág., 9 ptas.

Cr. Eseverri, Pbro. — *Diccionario Etimológico de helenismos españoles*, (Pamplonensia, S. B. V. 1), pp. 727 Aldecoa Burgos, 1945. — 18 pts.

Liber, quem lectoribus offerimus, 17.000 voces hispanicas ex graeca lingua deductas veteres ac populares — vel a prima origine aliquatenus alienas — et hybridas, et in primis novatas artium ac disciplinarum voces complectitur cum elencho propriorum nominum. Exornant praeterea lexicon scriptiois graecae, cum hispanica, ratio ac consonantia; principia, breviter pertractata, de derivatione et phonetica, de vocalibus consonisque, de spiritu et gemina-

tionem atque accentu, de compositione, desinentiis atque suffixis.

Hujus libri praestantia ac necessitas ex eo efficitur quod vocabula, in dictionario Academiae Hispanicae non contenta, recenseat breviterque cum perspicuitate definiat; atque utilitas quod ratione seu methodo procedat aptissima ad vocabularium graecum ediscendum atque inde ad nostram linguam penitus callendam

Pergratum nobis est lectoribus nuntiare exitum hujusmodi opus cum primum apud nostrates proderit.

A. P. C. M. F.

Epistolia soluta

F. F. (*Mindonium*) Tandem carmen tuum edere licuit. Misi ad te decem fasciculos, quos postulaveras.

A. G. (*in Seminario M. B.*). Alumnorum vestrorum exercitationes exspectamus, quas libenter PALAESTRAE inseremus. Superiores, quas misisti, casu non inveneram.

X X. (*O*). Salva pace et *musa* tua dixerim; carmina latina non tantum quodam numero seu rithmo constant, sed et syllabis longis ac brevibus, caesuris, cet. Prosodiam et metricam perlege versusque incudi rodde.

FR. J. S. T. (*X*). Fasciculum 99 rursus ad te misi. Quid acciderit, nescio. Alii subnotatores commentarium tempore accipiunt; eritne publicorum cursorum incuria? — Paucis ad tua quaesita respondeo: Haud facile est PALAESTRAM fixis diebus prodire, sed fere secundo quoque mense editur. Gyri postales non nuntiamus, quia omnibus fere subnotatoribus medio anno fasciculum in acceptione solvendum (*contra reembolso*)

administrator mittit. In bibliographia saepe numero librorum pretium deest, quia nec in ipsis pro recensione missis prostat. Voces quae cruce signantur, latinae sunt, quibus tamen recens additur nostrae aetatis sensus..., quae vero asterisco praenotantur nova omnino vocabula sunt, romanis ignota quamquam radix vel ex graeco vel ex latino fonte promanat.

JOS. C. ET ALF. O (*Ceheginium*). Nunc ad vos, o boni. Litteras vestras valde amo. Alfonsi legetis carmen; alia exspecto, quae opportuno tempore edentur. Strophae sapphica saepissime apud Horatium sensum perfectum continet, quamvis non nunquam puncto non finiatur adonius; est saltem omnium optima conclusio: sic et periti sentiunt. Salvere jubebitis novum Collegii Rectorem eundemque clarissimum doctorem. Nisi ergo aliud significaveris ad te et ad Collegium Ceheginense PALAESTRAM mittemus. Tua vota fortunet Deus.

Exercitationes Scholares

ARISTIPPI ACUMEN

Interpellans quadam occasione Aristippus pro amico suo apud Dionysium regem atque cum is preces ejus admittere nollet, ad pedes ipsius se provolvit, incepitque osculari eos ac amplexari dum obtineret quod rogabat. Cum aliqui factum reprehendissent, respondit: «In culpa ego non sum, sed Dionysius cui sunt in pedibus auditus».

JOHANNES CASAIS, C. M. P.

II cursus alumnus, Segoviae

Cum quondam Aristippus interpellavisset pro amico regem Dionysium et hic noluisset admittere preces, Aristippus sese provolvit in pedes regis et incepit eos amplexari et deosculari, usque dum consecutus est quod rogabat.

Cum aliqui eum reprehendissent facti, respondit: ego non in culpa sum,

sed Dionysius qui habet auditus in pedibus.

FRANCISCUS CORONA, C. M. P.

III cursus alumnus, Cervariae

IRRISIO THIMONIS

Thimon quadam die processit in rostra ut proferret sermonem. Conticuere omnes praesentes, aliquid magni momenti dicturum esse cogitantes, nam rarissime contionari solebat; et tunc Thimo: «Athenienses, inquit; post meam domum est hortus et in eo ficus, cujus in ramis multi se laqueo suspenderunt. Et nunc in eo structuram ponere duxi. Ideo id vobis nuntiare mihi visum est, ut si quis se laqueo suspendere velit, id ante sectionem arboris facere properet».

IRENAEUS MARTÍN, C. M. P.

Ic. alumnus, Segoviae, Quinto Kal. junii, 1946

Compositio vertenda

Dolor de Augusto por la derrota de Q. Varo

Graves ignominias cladesque¹ duas omnino, nec alibi quam in Germania, accepit Augustus, alteram Lollianam² majoris infamiae quam detrimenti, Varianam³ alteram paene exitiabilem, tribus legionibus cum duce legatisque caesis. Hac nuntiata, excubias per urbem indixit, ne quis tumultus existeret. Vovit et⁴ magnos ludos Jovi O. Max., si res publica in meliorem statum vertisset. Adeo denique consternatum ferunt, ut per continuos menses barba capilloque summisso⁵ caput foribus interdum illideret vociferans: «Quinctili Vare, legiones redde!» diemque cladis quotannis maestum habuerit ac lugubrem.

NOTULAE: 1. *Graves et ignominiosas clades* (Endfacts). — 2. *Lollianam* = *M. Lollii Paulini*, derrotado por los germanos el año 16 antes de C. — 3. *scl. P.*

Quinctilii Vari vencido por Arminio el año 9 de la era cristiana. — 4 *et* = *quoque*. — 5. *summisso* = *summissis*.

CURIOSA ET JOCOSA

157. — I	7
Tu	4 5
Ire	7 6 2
Nero	3 2 6 8
Terni	4 2 6 3 7
Cicero	1 7 1 2 6 8
Intuere	7 3 4 5 2 6 2
Orientur	8 6 7 2 3 4 5 6
Centurio	1 2 3 4 5 6 7 8
Tutentur	4 5 4 2 3 4 5 6
Cucurri	1 5 1 5 6 6 7
Turtur	4 5 6 4 5 6
Inter	7 3 4 2 6
Rete	6 2 4 2
Ero	2 6 8
In	7 3
R	5

IUXTA FLUMEN

158. — Quid piscaris, Antoni?
 — «Pulices».
 — Et cujusnam speciei sunt pisces isti?
 — Ignoro. Nullum adhuc piscatus sum.

JOHANNES CASAIS, C. M. P.

Hic alumnus, Segoviae

IN AULA

159. — MAGISTER. — Cur serus ad aulam venis? Johannelle.
 DISCIPULUS. — Quia me pater indigebat.
 MAGISTER. — Poteratne alio uti.
 DISCIPULUS. — Non poterat. Quoniam acriter me verberabat.

THOMAS VALENCIA, C. M. P.

Hic alumnus Barbastr

160. — Dic nobis, Francisce, quid fecerunt hebraei post exitum e mari Rubro?

— Sederunt ut sole siccarentur.

ISIDORUS GARCÍA, C. M. P.

Barbastr

161. — Josephus primum ad portum accedit, et, cum magnam cymbam videt, exclamat: Pater, adspice vaporitram se abluentem.

GEORGIUS CATALÁ

Barbastr

INTELIGENTI PAUCA

162. — Graeculus quidam, quotiescumque de aula regia Augustus descendebat, ei epigramma honorificum porrigere solebat.

Hoc cum saepissime frustra graecus fecisset ne id rursus faceret, Augustus epigramma breve in chirographo scripsit. Cum iterum graeculus Augustum convenisset, Augusti epigramma accepit, legensque laudare coepit, et verbis et vultu et gestibus mirari; deinde cum ad imperatorem accessisset, demissa manu in crumena, aliquos deduxit denarios ut principi darentur; atque arrogans, se plus daturum, inquit, si plus haberet.

Omnium cum risus sequeretur, graeculum Augustus accessivit et ei magnam pecuniae summam, qua certo indigebat, dari iussit.

F. BOSOR, C. M. P.

CHOCOLATES ORÚS - ZARAGOZA

LOS MEJORES DEL MUNDO

Marca de la Casa: Escudo de la Virgen del Carmen

No busque otros. Los mejores del mundo

CHOCOLATES ORÚS - ZARAGOZA

Typographia — F. Camps Calmet. — Teleph. 54. — Tarregae in Prov. Ilerdensi